

folus Paulus, differens de vetere & novo homine, Rom. 6, 1. 2. 3. 4. 5. 6. Eph. 4, 22. 23. Col. 3, 9.

Q. II. *An vera conversio sit ἀνέχρηστος seu inamisibilis?*

1. Calviniani propter absolutum, quod fingunt, decretum, electionis & reprobationis, semel justificados posse amittere Spiritum S. communiter negant, adeò ut Davidem in adulterio & homicidio, 2. Sam. 12, 9. fidem non penitus amisisse, docere non vereantur: Vid. Calv. lib. 3. Inst. c. 2. d. 11, 12. *Non fuit David regenerationis Spiritu, quem prorsus amisisset, rursus donatus, sed qui sopitus in ipso jacebat, fuit divinitus ministerio Nathanis excitatus, inquit Beza in Colloq. Mompelg. R. 2. p. 72. Chamier. Panstrat. Cath. T. 3. lib. 13. c. 20. §. 2. ita scribit: Catholici de vera fide duo docent, primum, non posse in reprobis esse: alterum, conjunctam esse cum perseverantia: adeò ut nunquam fidelis desinat prorsus credere. Et cap. 21. §. 23. Davidem & Petrum, negat, à fide unquam excidisse totaliter. Habemus, inquit, contra de Petro testimonium Christi, ego pro te roga- vi, ne deficiat fides tua, Luc. 22, 32.*

2. Nos antequam affirmativam quæstionis ponamus sententiam, dicimus, non esse nobis quæstionem de ipso actu conversionis, quo fit motus ab uno termino ad alium, cum hic apprehenso termino ad quem desinat esse; sed de fide salvificâ, quæ est effectus formalis conversionis sive terminus ad quem, ut sup. dictum est. Adeoque quæritur, *an semel conversi, ac per Spiritum S. renati possint fidem amittere? Renatos sive verè credentes, & Spiritu S. sanctificatos hoc loco non intelligimus eos, quos dominus regit, gubernat, custodit & defendit; de quibus Paræus in Iren. cap. 28. art. 8. p. 261. scribit, renatos sibi relictos, seu quoad vires suas, & causas proximas posse amittere fidem, gratiam, salutem; non tamen posse verè credentes fidem amittere, & gratiâ excidere penitus, quoad electionem & vocationem DEI ἀμεταμέλητον &c.* Sed intelligimus renatos, qui abjecto verò timore DEI securè vivunt & ambulant secundum carnem: quemadmodum David committens adulterium & homicidium, Petrus abnegans Christum, verba sunt Dn. D. Menzeri in Aug. Confess.